



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 4. Jure merito vivit de Altari, qui proper Altare studuit operari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

refectionis spiritualis qualitas, una species carnem & sanguinem, cibum & potum involvat; sive res contenta consistat, in quavis specie Christus reperitur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Ecclesiam non malè fecisse, quando decrevit, ut sub una duntaxat specie à Laicis Evcharistia sumeretur; hoc enim ob gravia incommoda vitanda factum esse, communiter Authores ostendunt.

Deducitur 2. Fideles de facto non fraudari fructu ex altera specie sanguinis percipi solito, cum juxta probabilem multorum sententiam per duas species non major fructus, cæteris rebus, quàm per unam percipiatur.

Deducitur 3. Non esse quidem de facto Laicis concessum, ut speciem sanguinis sumant; si tamen relicto Calice confectio aufugeret ob militem imminens, vel repente moreretur Sacerdos, nec alius adesset Sacerdos, qui eandem speciem suppleret, vel sumeret, posse eam ab Ædituo, vel alio legitimo sumi, uti Suar. d. 71. l. 3. apud & cum P. Gobat. tr. 4. c. 5. sentit.

PRINCIPIUM IV.

Merito vivit de Altari, qui propter Altare studuit operari.

Sensus.

Hoc est, Sacerdotes, qui Missas celebrant in aliorum commodum, merito ab ipsis stipendium absque ullo Simoniae periculo, accipere possunt.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura 1. ad Cor. 9. ubi Apostolus dicit: Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant?

Ratio.

Quia ipsa natura permittit, ut pro rebus pretio æstimabilibus pretium aliquod exigi possit; atqui obligatio ad Missam certo loco & tempore celebrandam, aut fructum ipsi applican-

plicandum est pretio æstimabilis, ut communis fert pœnitentia doctorum & indoctorum, teste P. Gobat n. 556.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etsi Capellanus quidam alioqui obligatus sit ad Sacrum dicendum, si tamen ad certum locum & tempus non adstringatur, & ab alio rogetur, ut certo tempore, vel ad certam aram celebret, salvâ conscientia possit aliter, quid juxta loci consuetudinem accipere, uti P. Gobat cum Caramuel. n. 556. docet.

Deducitur 2. Etiam Opulentos Beneficiatos exigere potest se ejusmodi stipendium, uti Suar. Tanner. & alii contra Casp. & Silv. docent, cum & divites Operarii digni sint Mercedibus de sua.

Deducitur 3. Si quis non dat justum stipendium, non obligari Sacerdotem ad totum sacrum pro illo offerendum, cum secundum mensuram mercedis sit & laboris modus.

ARTICULUS IX.

De Principiis ad Sacramentum Pœnitentia spectantibus.

PRINCIPIUM I.

Non remittitur facta à DEO aversio, nisi facta iterata ad ipsum conversio.

Sensus.

Hoc est, cum Homo per peccatum à DEO velut summo & vero bono ad creaturas velut particulas & umbras illius boni se converterit, non deest, ut ei ejusmodi peccatum (oblitum de ordinariâ via) remittatur, donec per veram Pœnitentiam iterum se convertat ad DEVM, & sic impleat illud Baruch. 4. *Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à DEO, sic iterum tantum iterum convertentes requiretis eum.*

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Luc. 13. ubi dicitur: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Hinc S. Ambrosius ad virg. lapsam ait: *Pœnitudo necessaria est, sicut conversio.*